

20

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS *manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimo-sexto Aprilis, anno* M. DCC. L.

M. CAROLO-FRANCISCO BOUTIGNY DES PREAUX, Doctore Medico, Præside.

An diù possit homo, sine cibo potuque, & vivere & valere?

I.



SINGULA humanæ machinæ instrumenta pervolve. Intima ipsius scrutare penetralia. Præter extructam solidis fluidisve compagem, nil quidquam occurret indagini tuæ. Reciprocè in sese invicem impetat, luctet, & quasi circa equilibrii punctum moveatur duplex illud partium genus: jam hæc ponitur physica conditio quâ vivit homo. Si æquabilis ubique, expedita, integra ac perfecta fuerit hæc alternatio motûs; illicò præsens consalutanda sanitas, bonorum omnium exoptatissimum. Ubi verò vel in unico organo languida, inæqualis, perturbata, impedita reciproca illa solidorum ac fluidorum actio; morbus adest, acerbum & heu nimiùm! frequens humanæ gentis flagellum.

La nommée Cuichelot agée d'11 ans fut surprise d'un évanouissement qui dura long-tems; on l'enveloppa dans une peau de mouton, elle revint, mais elle essuya pendant un mois des tremblemens par tout le corps de la dernière violence. Depuis la toussaint 1751 époque de sa chute jusqu'au commencement du carême de 1755, cette fille n'a pas pu même prendre du bouillon. Elle ~~rejettoit~~ ce qu'on lui faisoit avaler par force. Dans les 6 premiers mois de sa maladie elle n'a bu ni eau ni vin, elle suçoit de tems en tems son doigt trempé dans l'eau. Au bout de six mois elle a commencé à boire, mais elle n'alloit pas à la selle

Si tandem ubique corporis ſufflaminatus ac prorsùs extinctus ſit alternus hic & vitalis partium niſus, jam exarata ultima linea rerum, totumque corpus amara mors tenet. Summi opificis penitùs oppoſitos ab unâ eâdemque causâ effectus eruentis ineffabilem hìc ſapientiam agnoſce, ſuſpice, venerare. Quo motu naſcitur homo, vivit, viget, floret, eodem fatiſcit, ſeneſcit, properatque ad interitum. Etenim commota indeſinenter vaſcula, aſſiduo franguntur detritu, brevìque collabaſcunt. Fluida verò continuo quo aguntur truſili motu, per patulos exitus uberrimè è corpore fuſa ac penè exhauſta, vaſculoſum ſyſtema cui proluendo ac dilatando dicata, propemodùm inane relinquunt. Horum pars ſuperſtes tot repetitis contrita ſolidorum ictibus, accenditur, mitem exuit indolem, exaſperatur, acris, volatilis, putredini proxima fit. Solo igitur vitali ſolidorum & fluidorum motu, tota citò peſſum iret machina, lethoque maturiori occumberet, niſi imminentem hanc ruinam congruente pabulo provida caviſſet natura. Hoc cibo potuque identidem ſubminiſtratum, debitum liquidi penu ſuggerit, nativam ipſius blanditiem fovet, putridamque & alcalinam ejuſdem corruptionem avertit, aſſidua denique ſolidorum diſpendia ſarcit, & ita ad certum uſque tempus vitales prorogat motus. Num poterit unquam humana machina, tam neceſſario ſuſtentaculo, vitâ ſuperſtite diu defraudari? Minimè quidem; niſi ſtupendis de cauſis liquida, negato exitu, ſufficienti copiâ vaſis coërcita maneant; ſimulque generalis ille retundatur impetus, quo tam citò & ad putredinem vergit univerſa liquidorum moles, & jugi ramentulorum abraſione tota deteritur vaſculorum compages. Hunc autem ſtatum reipsâ occurrere poſſe concipitur. Eumdem verò morboſum nec unquam vigente ſanitate reperiendum agnoveris, qui portentoſus & à naturali humani corporis habitudine alienus. Ex quibus ſic prælibatis, nuncque fuſiùs paulò explanandis intricatæ hujuſce quæſtionis elucidatio ſponte fluet.

I. I.

De aëris & alimenti defectu, &c.

NOS hìc inania tantummodò & merè hypothetica conſectari, Junonem, ut aiunt, in nube quærentes, ne judica præceps; nec cuncta inediæ portenta, tanquam commentitia, leviter ac ſine delectu explode. Si enim doctiſſimum, ut par eſt, PECHLINUM audiamus, *Tot virorum eruditorum teſtimoniis argumentiſque probata eſt abſtinentium hiſtoria, ut qui illam inficiari auſus ſit, etiam meridiani ſolis lucem negare videri velit.* Innumera profectò hìc congerere fas eſſet exempla hujuſmodi, ex LENTULI, LICETI, PECHLINI, SCHURIGII, aliorumque operibus, tùm & ex variis Europæ diariis ac ſcientiarum commentariis facilè depromenda. In tantâ copiâ, pauca, ſed certa ac fida ſeligere præſtat. Miſſo igitur fabuloſo philoſophi EPIMENIDIS ſomno, pari jure neglectis ſeptem dormitoribus ſub VALENTINIANI imperio, necnon conſultò prætermiſſis quæ ab ocularibus teſtibus non traditæ, optato carent certitudinis gradu, perpeſſi per 15. 18. 20. 22. 30. 36. 40. annos perfecti jejunii hiſtoriis, ea primùm annotare conſentaneum eſt, quæ incredulis injucunda minùs. Plures ab omni cibo diu abſtinuiſſe, ſoloque potu ſuſtentaſſe vitam, certo certius eſt. Sic Canadenſes ſylvarum incolæ aquâ ſolùm & tabaci fumo diutiſſimè famem depellunt. Sic in Melitenſi inſulâ, plurimi ægrotantes ſolâ propinatâ per multos dies glaciali aquâ, non vixere tantùm, ſed & convaluere. Unico aquæ potu, hebdomadarum ſeptem ſpatio fuit enutritus Colonienſis ille melancholicus cujus meminit ALBERT. magnus. Harlemens quidam maniacus per 40 dies jejunavit nicotianæ fumo & aquâ pro colluendo ore ſolummodò uſus. Per univerſam tandem Galliam famâ pervagatum eſt piiſſimum illud Senonenſis Benedictini patris LEAULTE' jejunium, cui per viginti & ultra annos, toto quadrageſimali tempore, præter aquam & vinum in Sacro celebrando hauſta, nil aliud ceſſit in nutrimentum. Nec id obſervationum genus recenſentes à ſcopo aberravimus. Si non evertat, ſaltem movebit incredulorum pertinaciam, hoſve ad ſequentes abſolutæ inediæ hiſtorias benigniùs excipiendas ſenſim aptabit. Quis eorum debitam magno FERNELIO noſtro audebit denegare fidem, cum ſe vidiſſe narrat gravidam mulierem cujus ſupernum ventriculi orificium ſchirro impeditum liquidis ſicut & ſolidis omnem præcluſerat viam, quæve ſic invitè jejunans vixit adhuc per bimeſtre ſpatium. Nec exempla deſunt hominum qui ſub dirutis ædificiis aut in antris ſubterraneis diù quaſi conſepulti delituere, quin fame perierint. Non pauci etiam in Cochinchinæ regno deprehenſi ſunt, qui Chriſtianæ religionis ergò carceribus incluſi, omni alimento orbati, ſicque certiſſimæ morti damnati, horridam hanc famem ſitimque per plures menſes pertulere. Percelebris Confolentanea abſtinens obſervanti CYTHESIO à quo tradita ipſius hiſtoria, hæc phænomena ſucceſſivè exhibuit. Febrem ac vomitum. Loquelæ amiſſionem. Delirium. Partium capiti ſubjectarum, faucium imprimis paralyſim cum ciborum horrore ſex menſium ſpatio ſævientem. Motum poſteà in membris reſtitutum. Superſtes cujuſcumque alimenti faſtidium. Abdominis complanationem & atrophiam. Reliqui corporis plenum ſatis habitum & incrementum. Linguam abbreviatam. Cohibitum omne excretionum genus. Cutim aridam, frigidam, nec motu

Elle devint tres maigre son ventre applati, et toutefois le visage plein, le teint frais, vermeil elle perdit en meme temps que l'appetit la parole et l'usage de ses jambes. elle se trainoit sur le ventre, longtemps apres elle a marché sur ses genoux, et actuellement elle marche avec des potences. elle n'a jamais eu de la fievre. elle a commencé a manger en fevrier 1755 elle parle. mais ses jambes sont restées paralytiques. la meme chose est arrivée a une femme de Moysi, village de Baune il y a quelques années. vid. mercure de france janv. 1756 tome 1er pag. 186.

incalescentem, nec unquam sordibus conspurcatam. Hæc ab omni cibo & potu per tres annos & ultra abstinuit. Puellam vidit Patavinus Professor Alexand. VIGUNTIA, quæ febre primùm, dein brachii sinistri tumore, ac demum ventriculi, totius abdominis, & articulorum dolore obsessa. His successit brachii sinistri paralysis, cum violento cujuslibet ingesti vomitu. Nauseabundus indè omnis alimenti horror. Subtractum idcircò quodcumque pabulum. Hinc quarumcunque excretionum suppressio. Sic binos vixit menses non marcescens, sed floridam satis faciem gerens. Tunc exhibito pulvere quemdam cum lumbrico vivo evomuit humorem. Per sequens trimestre singulis ferè diebus, primùm per alvum, dein per vomitum copiosè satis erupit cruor. Fugatam postea brachii paralysim excepere cœcitas ac desipientia, & ita per octo menses, penitùs jejunam duxit vitam catalepticis aliundè insultibus sæpissimè perculsam. Sensim tamen restituta & ingestio & egestio. At paulò post fatali redeunte vomitu cætera revixere symptomata, & renata indè altera perfecta ac bimestris inedia. Celebres inter hasce jejunantes micat APOLLONIA SCHREIERA, quæ PAULO LENTULO eruditi operis suppeditavit argumentum. Hæc cum deperdito sensim cibi potûsque appetitu & usu, menses aliquot prorsus impasta transegisset, senatûs Bernensis jussu, in nosocomium traducta, ubi diligentissimum cui diù subjecta fuit examen, integram ipsius inediam posuit extra dubium. Compressum fuit in eâ quodlibet excretionum genus. Contabuit simulque induruit imus venter. Languidum & quasi paralyticum musculosum omne systema. Totum corpus stupore gravatum, fermè impar erat motui. Adeò hebes in extimâ cutè sensus, ut repentes in facie muscas non deprehenderet, nec rigentis brumæ frigus adverteret accerrimum. Jam ad duodecimum usque annum stupendum illud protractum fuerat jejunium, cum alimenta appetere & ingerere cœpit, sensimque abactis singulis prædictis symptomatis, pristinæ restituta fuit sanitati. Nec ibi reticenda puellæ è loco *Pallet* in *Burgundiâ* comitatu observatio, quæ è curru in terram violenter excussa, quadrupedante equorum ungulâ leviter in capite ac cervice quassata, & transilientibus rotis in dorso circa undecimam vertebram vehementissimè concussa, cruento primùm vomitu, febre dein periculosissimâ, diris doloribus, brachii sinistri paralysi, inappetentiâ, contumaci pervigilio, accuratâ tandem imarum faucium constrictione conflictata, per biennium & ultra, præter sacchari & conditurae liquidæ modicum, panis miculas aliquot & binos aquæ cyathos, nil quidquam ingessit. Hæc postea per quatuordecim menses nullas omnino tetigit dapes, satis habito manente corpore, febriculam, levesque idemtidem patiens sudores, nil per alvum & vesicam excernens, nec unquam, quod mirum, consueto orbata catameniorum profluvio. Medica Societatis Edimburgensis acta insolitam exhibent junioris puellæ abstinentiam à gravi mœrore & indè ortâ mensium suppressione primordia ducentem, & vomitu primùm ac convulsivâ gulæ coarctatione incautè sumpto emetico accersitis, spasmodico dein totius corporis statu, præsertim frequenti tetano, cœcitate, surditate, tandemque lethali marasmo stipatam.

Journal des Sçavans Mars 1688.

Tom. VI.

Nisi angusti vetarent hujus scripti limites, non pauca alia id genus exempla addere promptum esset. Horum claudat agmen miranda prorsus Virginis Vivariensis historia quam invisere, alloqui, & accuratissimè explorare licuit. Hæc à teneris annis rustico dedita labori, hystericos insultus, colicam nephriticam, vomicam pulmonum, parùm prosperum catameniorum fluxum, aliaque non levia perpessa fuerat mala. Sinistro casu in fluentem rivum ex alto prolapsam statim corripuit pleuritis consuetis expugnata præsidiis. Hanc excepit ischuria cum violento ac pertinacissimo vomitu, quæ quadamtenùs fugata. Accessit hemiplegia brevì in paraplegiam desinens. Tunc præclusâ gulâ, solitum victum sibi denegare coacta ægrotans. Naturalis quæcumque evacuatio indè suppressa. Occœcata dein vi morbi misera Virgo, ipsique obsurduit auris una. Idemtidem per plures continuos dies primùm non parùm cruoris, postea tantillùm puris stillavit ex aure sanâ. Hoc stillicidio cessante, visus nonnunquam ex inflammatâ mammâ guttatim exudare sanguis. Uterque ille fluxus quatuor prioribus inediæ annis sæpè recurrens, totidem ultimis rediit nunquam. At singulis annis vernâ tempestate erumpens sputum cruentum occlusam alimentorum viam periodicè sed levissimè reseravit, ita ut lactucæ, aut alterius oleris, aut panis azymi frustula minima, vel aliquot aquæ guttulas, tunc deglutire liceret, quæ sæpè vomitu rejecta, quandoque tamen retenta, quæve in vacuum prolabendo ventriculum, strepitum quemdam edebant, quasi in profundum puteum demergerentur. Verùm brevì post penitùs arctabatur iter, nonnisi sequenti anno pari tempore, consimilique ratione recludendum. Subucula quâ contegebatur famosa hæc abstinens, tum & indusia inter quæ jacebat ab octo annis, non squallore fœdata, sed usu tantùm detrita videbantur, nec unquam stratum cui perpetuò fuit affixa, putridum exhalavit odorem. Singularis hic status à prægressis affectibus virginem non exemit. Nephritico dolore fuit aliquoties afflicta, pluresque calculos ingenti cum cruciatu, nullo profluente urinoso latice, reddidit. Violentus etiam contigit ipsi vomitus, pituitosæ materiæ vermiculis

on explique ce phenomene en supposant la chaleur la transpiration aneanties et les autres evacuations l'impossibilité d'avaler indique la paralysie de la langue du pharynx de l'oesophage de l'estomac des muscles abdominaux. L'introduction de l'air par les poumons et par la peau a du reparer le peu de dissipation qui s'est faite dans cette fille. La nature a operé dans bien du tems ce que l'art eut pu

nonnullis interſperſæ. Singula hæc à probo & perito Medico teſte oculari edoctus; ſimul cùm eo abſtinentem noſtram inviſi die vigeſimo-quarto menſis Februarii anni 1745. Hanc in humili & obſcuro cubiculo lecto decumbentem reperii. Naturalis ipſi inerat facies, cum ſatis pleno univerſi corporis habitu. Pulſus erat lentus, exiguus, ritè ordinatus. Præcipiti motu nictitabant palpebræ. Muſculus temporalis ſiniſter perpetuo convulſivo motu quatiebatur. Arida, aſpera, albicans & abbreviata lingua. Cutis frigidiuſcula & ſatis flexilis. Motu ſenſuque orbata viſa ſunt membra. Quæſitis meis ingenuè reſpondens retulit ſe vix horâ unâ ſomno indulgere per totam noctem, ferè continuò dolere caput, quandoque pectus, at ſæpiùs multò ſcrobiculum cordis. Collapſum aridumque abdomen manibus contrectavi ſed præſertim ventriculi regionem depreſſam & rigidiorem. Violentam huic quamvis non intuliſſem preſſionem, ſequenti manè tamen de ejuſdem regionis ſæviori dolore conqueſta eſt. Sub Septembris finem, convulſionibus, pectoris oppreſſione vocem adimente, perpetuoque vomitu divexata per plures dies, vermes adhuc multos ejecit. Ingenti conatuum vi obſeratam pandente viam, uberrimè hauſit aquam, & quædam alia ingeſſit; at hæc quamcitò vomitu surſum efferebantur. Poſtremis vitæ ſuæ diebus, fluxilem, Caffé decocto ſimilem, & emplaſtrum epigaſtricæ regioni admotum redolentem materiem excrévit, necnon paralytica membra movit aliquantulùm. Tandem 14. Octob. die obiit. Stupendam hanc hiſtoriam veram, certam, & ab omni fraudis ſuſpicione immunem eſſe comperiit plurium fide dignorum, ac præſertim Reverendiſſimi Epiſcopi Vivarienſis diligentiſſima obſervatio. Qui ſingula hujuſmodi exempla negaverit audax, numeroſam doctrinâ morumque integritate inſignium virorum cohortem, levitatis, aut ignorantiæ, aut improbitatis neceſſe habet inſimulare.

D. de Villeneuve, nunc Epiſcopi Monſpel.

III.

VEGETABILE Regnum, ac multiformem animalium familiam attentis intuere oculis, nec tibi monſtrum erit incredibile humana inedia, nec eam reputabis mentis figmentum. A telluris conſortio ſemoti bulbi ſponte ſuâ ſingulis ferè annis in aëre adoleſcunt. Similiter & nonnullæ plantæ à terrâ matre ablactatæ fornicibuſque in alienos uſus ſuſpenſæ, injuſſæ vireſcunt, progerminant & vitæ vegetabilis teſtantur robur. Si ergò organicum plantæ corpus ſolito maternoque pabulo viduatum, poſſit adhuc propriâ ſibi vitâ potiri; cur organica pariter humana machina, conſueto victu ſubtracto, certis in caſibus, vitæ ſuæ compos non eſſet? At vivax illud & mobile regnum properemus perluſtrare, cujus pars magna ſumus. Nec ſtatim contemptum pariat humilis & puſilla inſectorum moles; nullibi enim magis enitet adoranda ſummi numinis ſapientia. Hæc autem rigente hyeme, abdita, conſopita, immota, jejuna, ac velut extincta manent, quouſque gratâ vice veris, renovato calore reviviſcant, & in liberum vitalibuſque effluviis perfuſum ſe vindicent aërem. Sic provida formica, tam ſollicitè non pabulum ſibi, ſed ſtratum comparat quo ſuum hyemalem commodè poſſit obire ſomnum. Induſtrios hoſce vermes ſedulò conſidera, qui ſepulchralem domum tantâ cum ſolertiâ ſibi nectunt & exſtruunt, quâ vivi ſepeliuntur, diutiſſimèque reconditi, impaſti ac velut mortui ſub chryſalidum aut nympharum nomine latent, qui tandem congruo calore foti funebrem perrumpunt thecam, reſurgunt alacres, & novâ, elegantiori ſæpèque variegatâ formâ indutos, verbo papiliones ſe exhibent. Jam erecto vultu per aëra volitantem conſpicere avium turmam. Harum major pars ſemeſtri duplici diſtinctam degit vitam. Altero vividè agunt, lætè moventur, celeri volatu paragrant æthera, dulcedine cantûs ſeſe invicem mulcent, nidulos ædificant, ſæpè ruunt in amatorios amplexus, concipiunt, pariunt, pullulos educant, optatiſque & avidè conquiſitis dapibus ſe ſatiant, alternâ alioquin requie ſe reficientes. Per aliud verò ſemeſtre ſpatium, ſuis occultatæ latebris, ſibi invicem implicatæ, ac convolutæ aviculæ, perpetuò quieſcunt, torpent, ſoporantur, jejunant, nec niſi in interioribus vivunt mortuis extûs ſimiles, donec jucundo reditu veris recaleſcant & quaſi renaſcantur. Nec infrequens eſt piſces etiam mediis in undis frigore nimio obtorpeſcere, latere, ac velut immori, imò & glacialibus ramentis obduci. Id quoque de amphibiis notum, ea Hyberno frigore conſtricta & corrugata cryptis recondi, ſilere, altoque ſepeliri ſomno, ut ſerpentes, bufones, lacertæ, &c. At notiora adhuc Hyberna quadrupedum latibula, in quibus alia unam & perpetuam obdormiunt hyemem, alia verò certis periodis movent ſe, iterumque ad ſomnos ſe componunt. Verùm id certiſſimum eſt erinaceos, glires, alpinos mures, aliaque hujus familiæ animalia, ut inimiciſſimo hyemali frigori ſe ſubducant, cuniculis abdi ſubterraneis, collecto in orbem corpore obdurari, & ſomno immergi adeò profundo mortiſque æmulo, ut eum verberibus, ferro, igne vix excuſſeris. Nec crede ea ſolummodò diù jejunare poſſe animalia, quæ totam hyemem ſtertunt. Serpentes abſque ullo pabulo in vaſe coërcitos, ſex menſium ſpatio & vivere & moveri expertus eſt AMBROSINUS. Obſervante oculatiſſimo REDI, ſuperſtite vitâ motuque inediam ferunt feles 20 dierum, canes 36. viperæ octo menſium, teſtudines tandem menſium 18. Ipſá velociſſima animalia, quæ pernici

vivre longtemps sans manger. vid. le traité du professeur Licetus, ce qui en rapporte par Senuert et Joustan la fille de harlem, Joanne Balan, la fille de Spire, et le prêtre de noyon qui ont vecu pendant differens temps assez longs sans manger n'eprouverent aucun des autres accidens de la maladie. de Mousard village de Baune diocese d'autun ou la michelot apris naissance d'un vigneron. Mercure de juillet 1756 p.

motu jactant corpus, cerastes putà; draco, salamandra, chameleon inediæ patientissima feruntur. Hinc sparsus error ultimum hunc solo aëre victitare. Ut harumce observationum vis unita tutiori momento pertinacem expugnet incredulitatem, hæc altâ mente perpende. Animalis cujuscumque sicut & hominis corpus machina est hydraulica ex vasculis fluidisque per ea traductis conflata. Utriusque vita in alterno harumce partium motu. Ut structura eadem, sic eadem mechanica ratio in utroque. Quæ igitur tamdiu ab animali vivente toleratur inedia, certæ solidorum fluidorumve mutationi haud dubiè tribuenda. Quis ergò sanæ mentis physicam hanc conditionem in humano corpore omninò impossibilem esse affirmaverit? Eamdem quis negaverit esse præternaturalem?

IV.

HUMANÆ igitur inediæ exempla fidâ nonnunquam observatione prodita fuisse stet inconcussum. Eadem ductis ex analogiâ argumentis firmari, sit pro comperto. Nec hisce jam consulenda refragabitur ratio. Age porrò, abstrusum altèque reconditum stupendi hujusce phœnomeni strenuè perquiramus fontem. Quo pacto in humano corpore nullo cibi potûsque genere instaurato, sat fluidi superest ad amplianda vasa, & ad circularem ac vitalem motum saltem in nobilioribus organis diù fulciendum? Deinde verò debitâ quamvis copiâ occurreret in jejuno corpore fluidum, quî fit ut non novatum ab illâ alcalinâ putridâve corruptione tamdiù perstet immune, in quam motu, calore, nativâque indole aliàs tam citò vergit? Hæc duo nunc operosè excutienda. De priori sollicitam reperies scriptorum turmam. Ultimum dubio procul magis intricatum vix subolfecere nonnulli, nemo quod sciam, ex professo tentavit enodare. Ut primum haud infelici expediamus eventu, suprà depictum quorumdam animalium periodicum ac semestrem somnum præstat intueri diligenter. 1°. Hunc ciet hostile frigus. Corporis autem cujuslibet densare molem frigori proprium. Stringit ergò & occludit penitùs cutanea horumce animalium spiracula. Sic excretionum uberrimam cohibendo, debitam servat in iisdem fluidorum copiam, ut intùs pergat adhuc aliqualis vasorum motus. Indè igitur conjicere pronum est, præsertim ob compressam penitus insensilem perspirationem, jejunum hominem requisito ad vitales motus fluidi penu non spoliari. 2°. Frigus illud quo animalia obtorpescunt, non perspiratorios solummodò ductus, sed & alios adhuc obstipat externum corporis habitum alluentes, liquidorum partem condensat, aliam repellit introrsum, sic vasculosum systema minuit & abbreviat, cui proindè replendo ac peragrando multò minor fluidi moles haud impar erit. Si ergò illud idem in pluribus humanæ machinæ vasculis contingeret, vitales ipsius sustinere motus potis esset parcior humorum copia. 3°. Sic sopitum animal, extincto simile nullum certè motum edit. Motu verò subtilissimum & spirituosum avolat è liquidis, quo depauperatum animal fatiscit. Tantam ergò non patitur jacturam, ubi cuncta ipsius prostrata sopore urget membra quies. Si igitur voluntario motu orbaretur homo, si morbo quopiam sed præsertim paralysi strato affigeretur; sic fermè immobilis jacens, minusque spirituosi deperdens, vix iteratâ indigeret instauratione. Quæ tria sic prænotata caliginem hinc abigunt, maximamque fœnerant lucem. Apprimè enim cum præcipuis humanæ inediæ phœnomenis concordant. Id autem statim singulari dignum attentione occurrit, muliebrem sexum omnia ferè prodigiosæ abstinentiæ exempla præbuisse. Unde nodo huic extricando proderit ritè intellecta fœminini corporis textura peculiaris. Cui verò notum non est, illud masculino humidius, laxius, debilius, parum exercitatum, multò minùs perspirare, ac superfluo redundare sanguine cujus periodicum effluxum exposcit integra sanitas. Ne miremur igitur, mulieres non solùm parciori sustentari cibo, ac per hebdomadas à potu innoxiè abstinere posse, verùm etiam perfecto jejunio diu ferendo aptiores esse. His adde celebres hasce abstinentes quarum historiæ litteris consignatæ prostant, plerasque puellas fuisse mox puberes, in quarum idcircò corpore ultimum incrementi sui apicem recens adepto, necdum satis obfirmato uberiùs excrescunt succi, nec eâdem ratione funduntur è corpore excrementa. Nunc verò revoca in memoriam singulis ferè jejunantibus, modò aridam esse cutim, modo frigidam, sæpissimè insensilem, nec plerumque ipsi superjecta sordescere lintea. Hæc profectò penitùs interceptum arguunt halitum insensilem. Concludere ergò ne cuncteris, hujusce excretionis omnium certè copiosissimæ compressionem, debitæ fluidi moli intra corporis penitiora retinendæ, proindèque diuturnæ fovendæ inediæ potissimùm conferre. Hinc diu sinè alimento vivunt, quæ ferè imperspirabilia sunt animalia, serpentes putà, viperæ, testudines, &c. Jam intentâ mente perpende humanæ inediæ ferè semper comitem fuisse paralyticum quemdam affectum. In hoc autem plurimi tubuli nervei, fortè & non paucæ arteriolæ sanguineæ ac lymphaticæ consueto liquidi sui appulsu orbantur. Hosce totidem ductus, tanquam ex universo vasculoso symptomate demptos concipe, ut res est. Quod liberum superest & patens, proluet movebitque parcior multò liquidi copia. Id tandem sedu-

lò perspice hac concurrente paralysi, nonnullis partibus motum aut sensum aut utrumque simul adimi, imò & quandòque totum immobile reddi corpus. Hinc ferè nulla spirituosi liquidi jactura, quo per motûs sensûsve exercitium inprimis viduatur humana machina. Ut quid ergò hoc in statu posita assiduâ refectione indigeret? Quâ verò mechanicâ ratione insensilis cohibeatur halitus, paralytica accedat membrorum immobilitas, & impervia fiant plurima vasa, id ad pathologos mittimus explanandum. Connotare sat erit, effectus hosce haud difficilè inferri potuisse à subitaneis & violentis hisce casibus, ut & ab acutis & chronicis morbis qui ferè perpetuò humanæ inediæ ansam præbuere.

Nunc nitidè dirimenda quæ hactenùs ferè intacta fuit difficultas altera, alterius jam solutæ poscit opem & conjurat amicè. Nec negabitur ipsi. Quod enim priori elucidandæ profuit, posteriori enodandæ non parùm juvabit. Id ergo statim adverte diligenter, ideo non instaurata fluida nostra blandam exuere indolem, acrem, alcalinam, putridamve contrahere, simulque deteri, siccari, ac contabescere solida; quia diluens difflatur vehiculum aqueum, perditur demulcens lene oleum aut mucilago mitis, ex humoribus plus æquo contritis extricata salia exasperantur, tandemque præcipuè fervidiori æstu universa conflagrat fluidorum moles. Hinc nimiam abstinentiam presso pede sequuntur vigiliæ, anxietates, spasmi, febres atrociores tum ardentes tum hecticæ, atrophia, marasmus. Hinc lethali inediæ sævissimè damnatos, siti intolerabili potiùsquam fame necari constanter observatum. Exitiosam hanc fluidorum corruptelam & inde tot emergentia damna avertunt, in animalibus hyemali somno sepultis, insensilis exhalationis aliarumque excretionum suppressio, systematis vasculosi jam notata angustatio, certæ fluidorum partis coagulatio, tandemque motûs muscularis defectus. Cur ergò eædem in homine nonnunquam coincidentes causæ, protractæ inediæ descripta mala præcavere non possent? Arceantur omninò singulæ excretiones, at præsertim Sanctoriana perspiratio; nonne tunc omni præcluso exitu, sufficiens & vasorum mollitiei tuendæ & liquidorum præstandæ dilutioni, superest in corpore aquei laticis copia? Si præterea sero luxuriet nativa temperies, nonne difficiliùs multò vehiculo diluente denudabitur? Hinc muliebris sexus inediæ magis patiens, tum quia minùs perspirat, tum quia humido scatet. Hinc etiam serosi & phlegmatici tolerandæ abstinentiæ magis idonei. Tenuis autem mucilago, blandumve oleum quibus irretitum acre in liquidis mitescit, solidumque inunctum mollescit, non absumuntur, sed intus manent, ubi compressum quodlibet excretionum genus. Si verò exuberaret utrumque, & pinguis, mucilaginosa, ac gelatinosa prævaleret humorum diathesis, tardiùs certè jejunio exhauriretur, nec tam citò infensa exurgeret acrimonia. Undè copiosè aggestam sacculis adiposis suavissimam pinguedinem, mitissimumque in ossium cavis uberrimè collectum medullarem succum, tanquam duo interiora pabula spectare fas est, quorum lentâ remixtione reficitur sanguis, mitigatur, diuque putredinis & acrimoniæ servatur expers. Hac imprimis ratione pingues & obesuli diu jejuni vivere queunt; tum quia plerumque minùs perspirant. Ast si eadem in abstinente ac in benè pasto corpore vigeret oscillatoriæ vasorum undulationis, motûsque humorum circulatorii energia; fluida ab imminente corruptione, non cohibitus posset eximere serosus humor, non collectum pingue oleum; illam potiùs acceleraret excretionum omnium suppressio, particulas acres vividis ac repetitis ictibus evectas intus coercendo. Ut ergo tetrâ humorum putredine non tam citò corruat jejunum corpus, magnopere præstat, vitalem motum in eo valdè deprimi, ac frænari. Quis autem rem ita esse inficias ibit, ubi pleraque membra paralyticâ atoniâ tenentur, ubi lecto manet defixus æger, ubi pinguia, mucilaginosa, ac torpida fluida, parciori insuper copiâ adsunt. Hanc ergo aliam ob rationem seu propter languidiorem vasculosi systematis tonum, inediam faciliùs ferunt humidi, phlegmatici, frigidi, obesi, & mulieres. Sic minuto & quasi sopito vitali solidorum ac fluidorum motu, jam non ampliùs pertimescendus fervidus ille æstus jejunum corpus tam citò depascens, torrens, perimens. Calor enim cæteris paribus affrictuum vehementiæ & partium sese conterentium numero respondet. Affrictuum autem vehementia causis mox enarratis dubio procul frangitur. Partium verò sese conterentium numerus est in ratione superficierum. Multiplicantur profectò superficies, ubi uberior fluidorum copia per angustiora ac numerosiora traducitur vascula; decrescunt è contra ubi & parcior fluidorum rivulus, & per ampliora ac pauciora vasa volvitur. Illud ultimum in omnibus inediæ exemplis contigisse in comperto est. Subtracto victu fluidorum minuta moles. Occlusis canaliculis omnibus excretoriis, pluribusve secretoriis, lymphaticis, ac nerveis tubulis, tandemque nonnullis sensim obstipatis sanguineis arteriolis, jam non nisi majora ac pauciora vasa circumacto fluido irrorantur. Sic ergo decrescentibus solidorum fluidorumve superficiebus, reciprocos affrictus juxta eamdem rationem decrescere, proindeque calorem inde ortum minui ac retundi necessum est. Hac ergo potissimâ ratione tam lætè fert inediam senilis ætas, in qua scilicet præ rigiditate & occallatione tubulorum capillarium deleta maxima pars, nec nisi per interiora ac capaciora vasa

circularis pergit humorum motus. Retento igitur in jejuno corpore aqueo latice, ſervatâ pariter mucilagine miti, fluidorum impetu fracto, ſolidorum torpente motu, remittente tandem calore, diu poterit amoveri putrida humorum infectio, Sic ergo non infauſtè ſecundus ille enucleatur nodus qui primâ fronte velut inſolubilem ſe obtulit.

Prægreſſis omnibus adamuſſim expenſis, dubitate nefas quin tales concurrere poſſint cauſæ, quæ in humanâ machinâ nullo ſuſtentatâ victu, & debitum ad vitam fluidi penu, & requiſitam ejuſdem blanditiem diù foveant. Ubi vero hæc duo obtinueris, jam à propoſiti de inediâ problematis ſolutione non longè abes. Ne tamen cauſas alias huic illuſtrandæ compares ulteriùs inquirere ſperne. Curiosè inprimis expiſcari juvat, nùm jejunum corpus refocillare potis ſit undique nos ambiens aër, occultum vitæ cibum in ſinu ſuo recondens, devehens, & ad penitiora uſque infundens. Placita hæc veteribus opinio, nec riſu nec ſibilo digna. Aër enim quo carere calamitoſius eſt quàm ipſo defraudari alimento, verum eſt chaos, ac promptuarium inexhauſtum, obvolitantibus corporum quorumcumque ramentulis refertum. Hunc perpetuæ ditant animalium ac vegetantium exhalationes. Ad eum aſſiduê tendunt quæ è telluris gremio vitalia avolant corpuſcula. Aquâ, igne, ſale, ſulphure, terrâ ipſâ volatili ſcatet. Quidquid ergo ſolitum conſtituit humanæ machinæ victum, hìc uberrimè collectum habes, at tenuiſſimum, ſubtiliſſimum, ipſâ amicâ naturæ manu conditum, nec ulterioris indigens elaborationis. Cauſam ſciſcitaris quæ pretioſum pabulum intrudat. Non aliam quære, præter ipſum vehiculum, atmoſphæram ſcilicet quæ & pondere ſuo, & elatere ob caloris animalis acceſſum intenſiori, proindeque vi propemodùm immenſâ illud impellit. Nunc viam requiris quæ advectum & impulſum excipiat? Ea certè quæ tam facilis aquæ circumfuſæ, inuncti mercurii globulis, nec non therebinthinæ, cantharidum, aliorumve topicorum moleculis patet, atomis hiſce alibilibus non negabitur. Nec repulſam patietur earumdem volatilitas, cum ſalubri indole. Has ergo ad corporis intima faciliùs aliâ quacumque materie perducent abſorbentes meatus quibus totum exteriùs pertunditur corpus. Nec diſquirere vacat, an ipſemet aër ſubtili quo turget alimento confuſus, canaliculos hoſce ſubiens, & corporis penetralia permeans, fluidis inſtaurandis ſimul conferat. Vero quidem proxima hæc conjectura. At ſemper erit aër non temnendus opifer, dummodò nutritias vexerit particulas, & in hiantes tubulos abſorbentes impulerit. Illud enim occultum cibi genus, ſoliti victûs quadamtenus vices gerens, fluida reficiet, horumque nativam tuebitur fluxilitatem, dum interim ſuprà recenſitæ cauſæ eadem cohibebunt intra corpus, & ab infenſâ putredine vindicabunt. Cum ergo tam modico poſſit homo vivere, nonne liquet quàm facile ſit ac ſalubre temperantiæ legibus obſequi, nec unquam ſatiari cibis. Interim ex triplici jam retecto fonte, propoſitæ quæſtionis integra ſolutio non manaret, niſi ſimul conſuetum humanæ machinæ ſubtraheretur nutrimentum. Illud autem evenit, vel voluntatis inſanientis juſſu, quod rariſſimum; vel involuntariâ alimenti cujuſcumque inopiâ, ut in acerbis urbium obſidionibus, & in ſæviſſimâ tyrannide quæ victum omnem negando necem intentat, quod infrequens; vel tandem morbo quopiam cogente, ut dum inexpugnabili horrore, nauſeâ perpetuâ, aſſiduo vomitu repelluntur ingeſta, aut ſpaſmo, paralyſi, aliove impedimento ipſis omnino præcluditur via. Et hâc ultimâ ratione jejunium plerumque ſubrepſiſſe teſtantur ſupra narratæ tum & alibi reperiundæ abſtinentium hiſtoriæ. Quis verò obſervata hæc omnia, ut & deductam indè aithiologiam accuratè penſitans, præternaturalem ac morboſam illico non agnoſcet corporis ſic jejunantis conditionem? Quis perſtare valetudinem aſſeverabit, ubi plurima occluduntur vaſcula, multæ intercipiuntur ſecretiones, excretionum omnium organa feriantur, languet motus, torpet ſenſus, & naturalis invertitur totius œconomiæ animalis ordo?

V.

Ex univerſo hujuſce diſquiſitionis contextu certè inferre cogimur vel inviti, vitam quidem perfectæ inediæ, neutiquam verò ſanitatem diù conſociari poſſe. Ad aſſertum illud duxit te optatus ubique rationis, analogiæ, & experientiæ concurſus; Eidem ergo firmus inhære, & impavidum te feriat undique impetentium objectionum turma. Fruſtra cunctas inediæ obſervationes falſitatis inſimulabunt, quod nonnullas ſolerti fraude fictas fuiſſe diligens comperierit adhibitum examen. Inde enim tantummodò eruere licet quaſdam fabuloſas fuiſſe, nec temerè omnibus accedendum eſſe. Revera aliquæ omninò falſæ, hæ præſertim quæ jejunium intactæ ſanitati junctum exhibent; aliæ infra famam; plurimæ nonniſi certis circumſtantiis veræ, aliàs falſæ deprehenſæ ſunt. At multa ex omni parte vera perfectæ inediæ exempla extitiſſe evincunt obſervatorum doctrina, fides, diligentia, numerus. Nec facilè ductum ex Hyberno ſtertentium animalium jejunio infirmabitur argumentum, quod huic diſſimilis videatur humana abſtinentia, utpotè quæ non perpetuo ſopore, ſed pervigilio potiùs ſtipata. Etenim laxa quorumdam membrorum aut totius corporis immobilitas, ſopitus aut omninò impeditus in pleriſque partibus ſenſus, perpetuus

ferè decubitus, tandemque tot canaliculorum obturatio, somno quadamtenus equivalens. Sic superficietenùs obstipata, nec fluidis perfusa humana machina, chrysalidis instar nonnisi internam sed miseram agit vitam, pluribusque sensim labefactata malis plerumque vergit ad interitum. Animalia è contra alacria ut plurimùm ac satis vegeta ex periodico suo somno resurgunt. Adde jejunum hominem libero perfrui & assiduè instaurari aëris usu., quo certè carent pleraque soporata cavernulisque subterraneis abdita animalia. Reminiscere denique non solùm diù ferre inediam, quæ totam obdormiunt hyemem, sed quæ sæpissime moventur ac vigilant. Manet ergo inconcussum id rationis momentum quod suppeditavit analogia. Nec minùs firmo stabit talo superiùs adducta Theoria. Quod primùm de excretionum omnium integrâ compressione prolatum, non evertent cruenta quæ nonnullis in abstinentibus puellis observata fuere profluvia. Hæc enim angustatum vasculosum systema, respectivam succorum redundantiam, & vim vasculis quibusdam interioribus illatam arguunt., proindeque explanationi nostræ potiùs favent quàm adversantur. Id pariter perstabit invictum, quod jam antea à nemine observatum, tantâ cum curâ connotatum fuit à nobis de frequentissimo paralyseos cum humanâ inediâ concursu, licèt in eâ convulsivum affectum prævaluisse., quandoque visum fuerit. Nullum enim latet vel leviter in Pathologicis versatum, spasmo constringi vascula. Potuit ergo hoc in casu, cutanea spiracula, aliosque complures canaliculos exteriores omninò præcludere, vasculosum systema sic abbreviare., & fluida interiora versùs repellere. Nec prætermitte hujus generis affectum ægrotantes sæpe lecto affigere, sensuum organis non rarò naturalem prorsùs adimere usum; tandemque in atoniam imò & in paralysim haud ægrè commutari; quæ quidem in abstinentiâ spasmo sociatâ contigere. Ultimò tandem insurgent refragrantes. Quâ singulari & inauditâ prærogativâ, patuli supersunt pabulum aëreum excepturi ductus absorbentes, ubi perspiratorii omninò occlusi? Gravem hanc objectionem non arduo labore dilues, si excretoria quæ insensilem eructant halitum, è genere arteriofo, quæ verò alibilia aëris miasmata sorbent vascula è genere venoso esse statim annotaveris. Primum enim genus ingurgitationi magis obnoxium esse, cuilibet notum. Dein adverte verosimiliter majorem absorbentium canaliculorum amplitudinem, fortè & infundibuliformem figuram., non solùm volatilis alimenti ingressui favere., sed & eosdem ab integrâ angustatione eximere. Specta demùm, ut par est, tanquam vires sibi mutuò contranitentes, fluidi à centro ad peripheriam impulsi momentum, & aëris atmospheram assiduâ pressione corpori innitentem. Haud dubiè remittit illud in hoc casu, cum & parciori rivo, & languidiori impetu fluidum urgeatur. Interim pressio aëris profectò manet eadem. Hæc ergo particulas nutritias uberiùs in tubulos absorbentes intrudet, cum debiliùs diducta vicina vascula minus obstent. Undè sensim ultima coarctari, priores verò magis ac magis ampliari necessum est. Sic viventem humanam machinam, vegetabile corpus haud immeritò diceres. Non enim ampliùs suscepto intus pabulo reficitur, sed per patentes extrà radices nutrimenta sumit. In hoc tamen plantæ dissimilis, quod perspirationis & suctionis non patiatur alterna, verùm quidquid alibile vehit aër, perpetuò avidèque sorbens, ferè nihil unquam in beneficum ipsius sinum refundat. Assiduam hanc & fortem jejuni corporis suctionem innuere videntur duo in abstinente Vivariensi observata, promptissima scilicet emplastri epigastricæ regioni appositi exsiccatio, & excreta per alvum, paulò antè obitum, materies topicum illud perfectè olens. Num arida & rugis arata senum cutis subtili huic exsugendo cibo expeditior esset? Id suaderet experimentum quo constitit aërem per corticem arborum vetustiorem liberiùs transmitti. Jam verò omnibus hactenùs expositis, non tam tutò ac feliciter jejuno corpori refovendo provisum fuisse autumamus, ut de indagandâ causâ ipsius ruinam sensim moliente sollicisi simus. Vitam quidem descriptâ mechanicâ ratione ducit humana machina nullo refocillata sensibili alimento, sed singularem prorsùs, morbosam, luctuosam, dimidiatam, & ut plurimum malorum conflictatam iliade, mortique propinquam. Quid ambigis adhuc? Haud mora, animosè sic concludere est in proclivi:

Diù ergò potest homo, sine cibo potuque, vivere quidem, non verò valere.

Proponebat Parisiis, FRANCISCUS-DE-PAULÂ COMBALUSIER, Bursandeolensis apud Helvios, Doctor Medicus Monspeliensis, Antiquus Medicinæ Professor, nec non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1750, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1750.